

strumentum. ¶ Salvo quod, si aliquis fecerit alicui publico
 usurario sive feneratori habitatori Tergesti aliquam scriptu-
 ram manu propria, quod ipsa scriptura sit habeatur et intelli-
 gatur esse in duplum. ¶ Et si qua persona scripserit aliquam
 221 A scripturam sua // manu propria, in qua obligasset se alicui 5
 persone vel obligationem aliquam contraheret cum aliqua per-
 sona, quod illa talis scriptura preiudicat tantum illi qui eam
 scripsisset et heredibus suis et non alicui alteri persone.

Cap. XLIII. Rubrica quod dominium Tergesti
 teneatur sententias execucioni mandare 10
 et quomodo eas ferre debeat.

Ordinamus quod potestas iudices vel rectores civitatis
 Tergesti teneantur et debeant omnes sententias per
 dominium Tergesti latas et etiam arbitratorias firmas et
 raptas habere ac tenere et executioni mandare, nec in aliquo 15
 occaxione aliqua contrafacere vel contravenire, sub pena de-
 cem libr. par. pro quolibet et vice qualibet contrafacta, et de
 satisfaciendo illi, cuius illa sententia fuerit, totum dampnum.
 ¶ Potestas vero dare non possit aliquam sententiam de qua
 esset porecta (esset) petitio, nisi primo lite contestata et par- 20
 tibus citatis ad sententiam audiendam, et si daretur aliqua
 sententia diffinitiva de aliqua re mobili vel fixa,¹⁾ lite non
 contestata et partibus non citatis, ipsa sententia sit nullius
 valoris et non preiudicet parti seu partibus contra quam vel
 quas²⁾ data esset, tanquam si lata non esset; et in qualibet 25
 sententia diffinitiva teneatur potestas victum victori con-
 dempnare in expensis legiptimis in tasatione dominii. ¶ Et
 dominus potestas teneatur et debeat omni modo sententiare
 et difinire omnes sententias suo tempore et sui predecessoris
 notatas, intra viginti dies postquam fuerint notate et cum- 30
 cluxe, sub pena sacramenti centum libr. par. pro quolibet po-
 221 B testate et vice qualibet contrafacta, et ipsam sententiam // an-
 tequam publicetur per cancellarium comunis in eorum qua-

¹⁾ *fisci.* ²⁾ *quos.*